



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

36. An percutientes Clericum in sacris Ordinibus initiatum, cumque fuit dispensatum à Pontifice, vt possit contrahere matrimonium antequam illud contrahat, an inquam, illum percutientes incidant in ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

observat contra Coriolanum Laurentius Portel in dubiis. *Regul. verb. Manus violenta in Addit. n. 4.* ubi sic ait: [Si duo Religiosi per jocum, sive, jocando, se ad invicem percutiant, non incurrunt censuram, ut pater: & hoc est verum, etiam si in joco sit excessus, & pariter in percussione. Ita Franciscus Longus in suis casib. *refer. casu 20. n. 17. & c. 1. de sent. excom.* At in prædicto capite non fit mentio, si excedatur in joco, vel in percussione: solum dicitur absolute, non esse excommunicatum illum, qui percussit Clericum per jocum. Ego tamen dictum Authoris istius non condemno, in quantum constet percussione illam inceptam in joco, taliter crescere ut nunquam perveniat ad peccatum mortale: scio enim, posse cum aliquo motu iræ non plenè considerato percussione inceptam à joco, devenire ad solum peccatum veniale ex defectu plenæ advertentiæ. At scio in re morali posse aliquando actum numero, materialiter in initio esse primò primum, ita, ut nec sit peccatum veniale. Deinde lucescere aliquantulum magis ratione, posse eundem actum esse peccatum veniale, adhuc deficiente plena consideratione. Tertiò, affulgente magis rationis radio, posse eundem actum esse peccatum mortale, propter jam plenam advertentiæ. Quæ omnia possunt contingere in percussione incipiente per jocum, maxime si fiat excessus in percussione non consueta in joco: & talis poterit inde oriri inquietudo, ut consulendum sit saltem pro foro interno ad cautelam petendam esse absolutionem.] Ita ille, cui ego adhareo.

RESOL. XXXV.

An qui intendit percutere Caium Clericum, & facta diligentia percussit Titium Clericum, incidat in censuram? Et in exemplum adducitur, quod projiciens lapidē, ut percuteret Sempronium Clericum, & casu inculpabiliter percussit Titium etiam Clericum illic tunc transcurrentem, is enim non incidit in censuram, nec inde morte sequuta, contraxit irregularitatem. Et quod si percuteret laicum in eo casu, non incidere in censuram, quamvis intentio fuerit percutiendi Clericum. Et quod mandans occidere Petrum, si mandarius occidat Ioannem, non incurrit mandans irregularitatem ortam ex homicidio voluntario. Ex p. 9. tract. 4. Ref. 3. i.

Sup. hoc sup. §. 1. in Ref. 2. §. 5. vlt. ad lin. 7. & verif. Cæterum si quis, & in Ref. 1. prop. finem, verif. quod si Ioannem, & inf. in tr. 8. Ref. 3. ex doctrina §. vlt. in fin. verif. Et quidem.

Affirmativè respondet Vega in Summa, tom. 1. c. 85. casu 107. ubi sic ait: [Pregunto, Alonso pensando que heria à Iuan Clerigo, hirio à Pedro que lo era, empero si le conoceria no le hiriera, por que à solo Iuan tenia por enemigo: si cayó en descomulgacion por aquel Canon, Si quis, suadente Diabolo Ratio dubii est, por que si hiriera à Iuan topandole en abito secular, con esta ignorancia provable, y le hiriera por no conocerle, que era Clerigo, no cayera en descomulgacion, aunque con mas mal animo lo hiziera? Resp. Que esta descomulgado por aquel Canon, pues no ay ignorancia, pues sabe, que à quien hiere, es Clerigo: y assi la dicha ignorancia no es en este caso causa de algun acto involuntario, y assi en ninguna manera escusa de la pena del Canon, como elegantemente lo dize Santo Thomas 2. 2. q. 67. art. 1. con lo dicho conculda tambien Ledesma de descom. diff. 17. col. 1062. Iacobo de Grassis lib. 2. cap. 45. n. 17. Covarruvias in cap. Alma mater, de sent. excom. 1. p. §. 10. n. 15. Fray Manuel Rodriguez 1. tom. cap. 80. concl. & n. 11. los quales Autores concuerdan etiam diciendo, que el que hiere al secular, pensando ser Clerigo, no incurre en esta pena, por que esta pena precisamente se pone contra el que hiere al Clerigo; ni basta la voluntad, e intencion, sin esta accion exterior.] Ita ille.

2. Sed negativa sententia visa est probabilior Patri Fragofo de Repub. Christi. tom. 2. lib. 1. disp. 2. §. 1. n. 36. sic

asserenti: [Si occidens facta diligentia, ut occideret Petrum, occidit Paulum: ratio, quia, ut suppono, sufficientem adhibuit diligentiam, ne occideretur alia persona, nisi Petrus: cum ergo actio illa exterior respectu Pauli non fuerit voluntaria, sed merè casualis, & inculpabilis, non induxit censuram, cum non fuerit causa illius. Item solus affectus percutiendi Clericum Petrum fuit voluntarius, sed affectus malus non est sufficiens ad excommunicationem, seu irregularitatem inducendam: atqui opus externum respectu Pauli fuit involuntarium: igitur affectus voluntarius non sufficit, quando opus externum involuntarium sequitur. Suarez de cens. disp. 22. sect. 1. n. 54. Confirmatur argumento proponentis lapidem, ut percuteret Sempronium Clericum, & casu, & inculpabiliter percussit Titium etiam Clericum, illic tunc transcurrentem: is enim nec incidit in censuram, nec morte inde secuta contraxit irregularitatem. Iuvat Molina de iust. & iur. 3. disp. 5. 3. n. 3. ubi putat, tanquam probabilis, non incidere in excommunicationem illum, qui credens se occidere Sempronium Clericum, occidit Titium Clericum ignorans invincibiliter illu esse Clericum. Nam, quamvis voluerit Clericum interficere, ignorabat invincibiliter hunc esse talem: sicut etiam excusatur à censura volens percutere hunc Clericum, si aberrat ab eo, & præter intentionem percutiat alterum proximè adstantem. Egidius Coninch de i. 1. n. 197. ita in nostro casu, cum respectu alterius Clerici actus ille exterior fuerit involuntarius, & merè casualis, ac præter intentionem. Probatur tandem eundem, si percuteret tunc laicum, in eo casu non incidere in censuram, quamvis intentio esset percutiendi Clericum Covarruvias in cap. Alma mater, 1. p. §. 10. n. 15. vers. vlt. ergo similiter in nostro casu. Vide etiam Portel in dubiis verb. Manus violenta, n. 9. ubi distinguit, & sic asserit: Si taliter percutiens fecit omnem diligentiam mortalem, ne alia persona ibi subesset, nisi Petrus Clericus; tunc non incurrit: quia tunc illa percussio circa Ioannem fuit omnino involuntaria, & casualis: secus si non fecit talem diligentiam. Ego pro parte negativa etiam adduco hoc aliq. exemplum. Nam Congregatio Cardinalium super Concilium Tridentinum anno 1587. declaravit, quod mandans occidere Petrum, si mandarius occidit Ioannem, non incurrit mandans irregularitatem ortam ex homicidio voluntario. Ita habetur in 4. rem. Declaratum, impresso ex Bibliotheca Farinacii, fol. 4. col. 1. in fine. Si ergo taliter mandans non incurrit penam irregularitatis, quia non est occisus, quem intendebat, videtur etiam, quod in nostro casu non incurret penam excommunicationis occidens Ioan. Clericum, quia non occidit Clericum, quem intendebat.] Ita ille.

RESOL. XXXVI.

An percutientes Clericum Sacris Ordinibus initiationis, cum quo fuit dispensatum à Pontifice, et postea contrahere matrimonium, antequam illud contrahat, an, inquam, illum percutientes incidat in censuram? Ex quo inferitur, an professus, cum quo dispensatum est ad nuptias, teneatur ad Officium divinum, recedendum, quod idem dicendum est de Sacerdote cum prædicta dispensatione?

Et obiter queritur, an degradatus ad pensum Horarum Canoniarum adstrictus sit? Ex p. 9. tract. 4. Rel. 40.

Negative respondendum videtur ex doctrina Sanch. de matr. lib. 8. disp. 8. n. 11. ubi sic ait: [Dubitari potest, an Professus hic, cum quo dispensatum est ad nuptias, teneatur ad Officium divinum recedendum? Rodriq. asserit, eum teneri ad Horas, antequam ad nuptias transeat: secus ubi jam transiit. Dicitur, quod ante

Ob Clerici percussione Ref. XXXVII. 147

verbaliter gaudeant hoc privilegio Canonis? Ex p. 9.
tr. 4. Ref. 13.

ante eum transitum non desierit esse Religiosus; cum nondum statum incompatibilem assumpserit, per quem status Religiosus destruat. Et huius signum est: quia, si mutato proposito nollit uti dispensatione, maneret utique Religiosus novo alio actu; nec illi permitteretur in saeculo diu permanere, quo hic Habitum monachalem exuit, induens vestes saeculares, ut dispensatione utens, matrimonium inear, cum liberari a recitandi obligatione; sicut & a ceteris monasticis vitae oneribus: quia cum jam sit iuste extra Monasterium, ac monasticam vitam, ab ejus oneribus eximitur, sicut & de ejecto a Religione fatentur Doctores. Quare hinc infero, Sacerdotem, cum quo dispensatum est, ut matrimonium inear, teneri ad Officium divinum, dum Habitum non mutat ad utendum dispensatione, quod nondum a statu sacerdotali recessit; & potest interim celebrare, ac beneficii fructibus frui, ac ceteris Clericorum privilegiis: secus autem, ubi Clericatum deserit, habitum saecularem induens, ut utens dispensatione, ad nuptias transeat; quod jam translatus sit ad statum saecularem, solo indelebili caractere manente; nec gaudeat privilegiis Clerici. quare similiter debet manere ab oneribus exemptus Sacerdotio annexis. Nec est simile de degradato, quem omnes fatentur clericalibus privilegiis destitui, & tamen ad pensum horarium addit; quia hic ob suam culpam privilegia amittit; & ideo ne ex ea commodum reportet, tenetur ad onera. Ita ille.

2. Sed contrarium docet Squillante de priv. Cler. c. 7. n. 39. quia antequam contrahatur matrimonium à dicto Clerico in sacris, licet solum relinquat Habitum clericalem ad finem contrahendi matrimonium ex jam obenta dispensatione, & non sit assumptus status contrarius, & incompatibilis Clericatus, ita frui non possit omnibus clericalibus privilegiis, ac etiam reassumere Habitum, ut non teneatur ad onera sacris Ordinibus annexa. Ideo dicerem, quod post contrahendum matrimonium propter statum contrarium, & incompatibilem assumptum, talis Clericus non gaudeat clericalibus privilegiis; cum tunc nec ad onera annexa sacris Ordinibus teneatur: quamvis teneri ad onus recitandi Horas canonicas, etiam post contrahendum matrimonium ex Summi Pontificis dispensatione, allerat Bonacina de Horis canonicis, disp. 1. q. 2. punct. 3. n. 5. secus autem dicerem, antequam matrimonium contrahat, licet reliquerit Habitum clericalem post obentam dispensationem, cum nondum sit assumptus contrarius Clericatus; in tantum quod, si isto medio tempore committeret aliquod delictum, deberet cognosci, & puniri ab Ecclesiastico. Et ideo in terminis nostris de privilegio Canonis hoc etiam docuit idem Squillante cap. 6. num. 20. ubi ad superius dicta de privilegio fori se remittit.

RESOL. XXXVII.

An qui percussit Clericum incorrigibilem, incidat in censuram?

Et an talis, Clericus amittat privilegium fori?

Enotatur, quod excluduntur ab hoc privilegio Canonis Clerici Iocutores, Goliardae, aut Bufones, si per annum huic ignominioso officio vacaverint.

Etiamque excluduntur exercentes officium Carnificum, Macellariorum, Tabernariorum, modo conjugati sint, vel habitum Clericalem dimiserint.

Et an si conjugati non sint habitumque Clericalem retineant privilegio Canonis, & fori quoad personas non priventur, sed solum quoad eorum bona?

Et an Clerici excommunicati, etiam denunciati, & vitandis, suspensi, interdicti, irregulares, vel etiam depositi

Tom. V.

§. 1. Affirmative respondet Layman lib. 1. n. 5. part. 2. cap. 5. num. 4. & alij, quos citat, & sequitur Castros Palaus tom. 6. disp. 3. punct. 23. §. 1. n. 11. asserentes, Clericos in Sacris constitutos privilegio fori gaudere, quousque degradentur realiter, vel per sententiam Iudicis eo privilegio denudent. Colligiturque ex cap. Cum non ab homine, de iudicio, ubi post incorrigibilitatem remittitur potestati saeculari Clericus puniendus. Non igitur ipso iure ob incorrigibilitatem privilegio fori privatur. Constatque cap. De fama 35. de sent. excom. ubi laicis conceditur potestas capiendi incorrigibiles, non tanquam propriis Iudicibus, sed tanquam Ecclesiae ministris, cui illi Clerici adhuc subiecti sunt. Putant igitur hi Doctores contra Covarruviam, Clarum, & alios, ad hoc ut Clericus amittat privilegium fori, & Canonis, requiri necessariam authenticam declarationem incorrigibilitatis, & regulariter sententiam degradationis, seu privationis. Vide etiam Villalobos t. 1. tr. 17. diff. 22. n. 14.

2. Sed plus addit Suarez de censur. disp. 2. sect. 2. n. 10. Riccius par. 4. decis. 102. n. 5. & Squill. de privileg. Cler. c. 6. n. 11. quod post praedictam declarationem talis Clericus non est omnino clericali privilegio privatus, ita ut censuram evadat, qui ipsam percuteret; cum solum in d. cap. Cum non ab homine, limitate dicitur: Per saecularem potestatem corrigatur. Unde respectu aliorum minime auferri videtur immunitas Clericatus. Verum Fragosus de Repub. Christ. t. 2. lib. 1. disp. 2. §. 1. n. 26. putat Clericum dimisso Habitum, & tonsura clericali in enormitatibus se intromittentem, privilegium Canonis perdere; non tamen privilegium fori: quia privilegium fori est indultum à jure divino, cap. Quamquam de censibus, in 6. Gloss. penult. in c. Si Imperator. 96. Socinus cons. 12. num. 20. vol. 1. Rolandus cons. num. 30. volum. 1. & alij, quibus accedit Bellett, disquis. cleric. part. 1. tit. de favore clericorum Canonis, §. 2. n. 44. Deperdi autem privilegium Canonis propter enormitates, quibus Clericus se immiscet, illa est ratio quia est privilegium à Iure positivo indultum. Ita citati Auctores, & Paulus Comitulus respons. mor. lib. 1. quest. 96. Tiraquellus de panis tempor. cons. 49. n. 36. & 37. Carolus de Graffis de effectibus clerical. effect. 9. n. 112. Sayro de cens. cap. 27. n. 9. & alij quos sequitur Barbosa in cap. Perpendimus 23. de sent. excomm.

3. Nota tamen hic, quod excluduntur ab hoc privilegio Canonis Clerici Iocutores, Goliardae, aut Bufones, si per annum huic ignominioso officio vacaverint argum. c. unic. de vita, & honest. Cler. in 6. & tradit Suarez disp. 22. de cens. sect. 1. n. 14. Layman lib. 1. Summ. tract. 5. part. 2. cap. 5. n. 5. Molina tr. 3. disp. 54. n. 6. & alij. Excluduntur etiam exercentes officium Carnificum, Macellariorum, Tabernariorum, modo conjugati sint vel Habitum clericalem dimiserint, atque ter moniti ab Episcopo non destiterint, vel, si postquam destiterint, idem officium reassumant. Quod si conjugati non sint, Habitumque clericalem retineant, privilegio Canonis, & fori, quoad personas non privantur, sed solum quoad eorum bona, ita ut eorum negotium non sit defendendum à Iudice Ecclesiastico, & instat saecularium soluere debeant tributa. Sic habetur Clem. de vita, & honest. Cleric. & docent Doctores citati penes Fragosum num. 28. & Palaum n. 8. & 9.

4. Verum dicendum est, quod Clerici excommunicati, suspensi, interdicti, irregulares, vel etiam depositi verbaliter gaudent hoc privilegio. Ita Grassius part. 1. lib. 2. cap. 49. n. 30. Squillante c. 6. de privileg. Cler. n. 13. Hæc conclusio quoad primam partem de censuratis expenditur

Sup hoc inf. in ref. 40 ad med. & in ref. 42. §. Norandum est, & lege ref. & §§. not. i. huius ref. 2.

Sup. hoc inf. in ref. 40 ad med. & in ref. 42. §. Norandum est, & lege ref. & §§. not. i. huius ref. 2.

Sup. his inf. in Ref. 42. §. Norandum, post mediū, vers. De Clericis, & pro parte in ref.